



Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum
Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ
Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 5. Quandonam Dispensatio invalida est ex parte petitionis?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

non servat legem jejunii ex dispensatione sine justa causa obtenta. Alii tamen censemunt talem tantum obligari ex justitia legali, aut distributiva, & legem naturalem tunc non tam severè obligare.

Not. Quamvis inferior dubitet, utrum ratio petendi dispensationem sit sufficiens, non tamen peccat illam sincerè proponendo Superiori, aut utendo dispensatione, si detur; modò dubium deponat conformando judicium suum judicio Superioris, qui prudenter judicasse, causam dispensandi sufficientem fuisse, præsumendus est, nisi oppositum constet, aut sit multò probabilius.

Q. 5. Quandonam Dispensatio invalida est ex parte petitionis?

Resp. Nulla est dispensatio, si sit subreptitia, vel obreptitia. Quia tum Superior non intendit dispensare; nec dispensat nisi sub hac tacita conditione: *si res ita sit, & nihil occultetur*, propter quod dispensaturus non esset, aut saltem nisi cum certò onere, vel limitatione, ex cap. 7. *de fide instrum.* nec voluntarium est, si ignoretur, quod agitur.

Dispensatio autem subreptitia est ea, quæ obtinetur per reticentiam veritatis exprimendæ, seu eorum, quæ exponi debent in petitione, juxta jus, & stylum. Obreptitia est,

est, quæ obtinetur per expressionem falsitatis, qua cognita non fuisset data dispensatio. Hæc vocatur etiam aliquando subreptitia, & utraque sæpè in jure confunditur, eò quod utraque nullas vires habeat.

Itaque invalida est dispensatio 1. Si re-
ticeatur, licet inculpatè, aliquid ad rem pe-
titam spectans, vel aliquid eorum, quæ
secundum jura. & stylum exprimi debent,
ex cap. 2. *de filiis Presbyt.* in 6. quia Su-
perior non intendit dare dispensationem,
nisi adsint conditiones, quæ ad ipsam in-
trinsicè spectant, & quæ jus, stylus, consue-
tudo, & leges, seu Regulæ Cancellariæ exi-
gunt, ut cognoscatur, qualis sit gratia, quæ
postulatur, & sine horum omnium cogni-
tione Superior non vult dare gratiam, qua-
lis petitur, cùm eam ut talem ignoret. 2.
Nulla est, si obtineatur ex causa finali falsa,
cap. 20. *de rescript.* quia Superior non
vult dispensare sine justa, & vera causa, nec
potest censeri velle peccare. Idem dic, si
duæ causæ allatæ sint, una vera, & altera
falsa, & vera per se non sufficiat ad dispen-
sationem æquam, & rationabilem: sicut si
sola causa impulsiva sit falsa, *ex eod. Cap.*
Causa autem finalis est ea, quæ immediate
pertinet ad rem petitam, & ob quam con-
ceditur gratia, ita ut ea non existente, aut
nullo modo, aut non nisi cum quibusdam
conditionibus, & limitationibus concessa

K 2

fu-

fuisset. Causa verò impulsiva dicitur ea, propter quam dispensans facilius dispensat, ita tamen, ut sine illa secundum rectam rationem, & causæ meritum dispensaturus esset eodem modo.

Q. 6. An valet Dispensatio, si post petitionem causa cesset?

Resp. I. Nulla est dispensatio, si ejus causa finalis non subsistat tempore, quo conceditur à Papa, vel Pœnitentiario, cap. 9. de *rescript. in 6.* quia non volunt concedere dispensationem, nisi ob causam, quæ tunc subsistat; alioqui essent iniqui dissipatores, & sine causa dispenserent. Idem est, si causa non perficit eo tempore, quo **Commissarius**, nempe **Episcopus**, vel **Confessarius** dispensat: quia cessante causa finali mandati cessat mandatum, si res integra sit, ex cap. 30 *de præbend. in 6.* At hic antequam **Commissarius** dispensem, res est adhuc integra. Præterea **Commissarius** non potest dispensare, nisi sub hac conditione apponi solita, aut saltem subintellecta, si *preces veritate nitantur*, quæ exigit, ut causa finalis verè perficit tempore, quo datur dispensatio, & quo examinata precum veritate executioni mandatur à **Commissario**: alioquin delegaretur potestas dispensandi sine causa existente, quod illicitum est. Hinc si, ob causam legitimandæ pro-

lis